

5

rum imagines dividuntur, easq; primùm in lapidibus variis extra, deinde intra Patriam, fossilibus (fissilibus, germ. Schiffersteinen) Mansfeldicis, considerabo.

§. 3. Atque ut à maximè notatu dignis incipiam: In ripâ maris pacifici, quæ respicit Arancum, Inbulia dicta, montosus locus est rupibus & salebrosis saxis penè inaccessus, usquedum pervenias ad planitiem & colliculum amœnum, qui respiciendo rupem excavatam, spectandam præbet admirandam & prodigiosam imaginem B. Virginis à naturâ ibidem expressam, cum suò pretioso filiò in brachiis. Saxum nigrum efformat capillos per dorsum humerosq; ventilatos & diffusos. Candidum verò os ad unum latus distentum, ita ut solummodo unus oculus magnâ proportione & elegantia delineatus appareat. Vestis roseò colore usq; ad cingulum, pallium colore citrinò, intra comparente colore cœruleo efformatum. (g) *Athanas. Kircherus ex Alfonso de Valle.*

§. 4. Anno 1659. in Helvetia intra montem, vulgò Gottesvald dictum, lapis inventus, in cuius centro figura Deiparæ Filiicq; non sine stupore videntium. *Idem.* (h)

§. 5. Ticini, vulgò Paviæ, in cœnobio Carthusianorum, Christi crucifixi & spineâ coronâ redimiti in marmore à natura pictam similemque huic Venetiis in templo S. Georgii reperiri, *idem l. c.* scribit, & ex (i) *Ambrosino* eandem in silice à naturâ formatam fuisse memorat.

§. 6. *Idem* (k) se apud Justinianum principem Bassanensem Angeli sub formâ pueri imaginem in lapide expressam, & apud Paulum Jordanum Urfinum Braccariensem in lapidis multilateris quòvis latere angelicorum capitum figuras vidisse affirmat.

§. 7. Marmoris frustum sectum ad lateritium parietem incrustandum, edidisse effigiem barbati senis, quam ad Paulum primum Eremitam uno consensu omnes retulerint, eumq; concivem suum, Leonhardum Crassum nomine, ad Maximilianum Imperatorem tunc temporis Ratisbonæ commorantem, afferendum curasse scriptum reliquit (l) *Scaliger av. 1715.*

A 3

§. 8. In

(g) In Mundo subterraneo lib. 8. sect. 1. c. 9. p. 45. (h) Sect. 2. cap. 2. Hanc figuram typis edidit una cum historica relatione Perillus & Generosus Dominus de Sonneberg. (i) lib. de lapidibus. (k) l. c. (l) cit. lib. de subtil. Exerc. CXVII.